

ulnæ habentem, eidemque aptavit pistillum ex assere quercino confectum & per circumferentiam, in modum trochleæ putealis, edolatum, ut lino vel stupâ circumligatus tanto arctius ac pressius subiret : & cum huic pistillo lancem 2686. libris onustam alligasset, alio die plures quam viginti viros robustos, in medio fune, detinendo junxisset; applicato debite cuidam aheni epistomio recipiente ex hausto & mox ambobus epistomiis (tum recipientis tum aheni) reclusis, vidit & ipse, & viderunt cum ipso Viri Principes ac magni alii, non solum sublatam cum ingenti pondere lancem, sed & adductos viros memoratos omnes, omni suo conatu necquicquam resistentes : prout hæc fusius enarrata ab ipso Guerikio operæ pretium est legere Experim. ipsius Lib. III. Cap. XXVII. & XXVIII.

AUCTARIUM XIV. TENTAMINIS.

AD PHÆNOM. V.

QUæ sub hujus Phænomeni finem de chordis diximus ab augefcente vaporosi aeris humore ita contrahi solitis, ut annexa sibi magna sæpe levant onera, visum est notabiliore ILLUSTRIS BOYLII observatione confirmare, quam Exercit. de Atmosphæris corporum consistentium, insignem effluviourum efficaciam inter alia multis experimentis comprobans, p. 124. ita describit : *Cupidus experiundi quid multitudo aqueorum vaporum posset, extremo funi, longo quidem, sed non crasso, trochleæque ex parte sustentato, plumbeum pondus sic appendi feci, ut humum non tangeret; cumque ponderi sat temporis ad extendendum funem quantum posset datum esset, humentem tempestate animadverti, aqueas particulas, invisibiliter in aere abundantes, sic in funem egisse, eumque sic contraxisse, ut is appensum pondus centum circiter librarum, si recte memini, elevaret.*

Hoc eodem verò fundamento superexstructum est aliud quoque Hygroscopiorum genus quod hujus loci est & à P. Francisco Lana inventum. Nimirum (ut id, absque schematismi delineatione, quam festinatio Typographi excludit, verbis utcunque describamus) chordam quandam alicubi clavo fixam, super parvulam quandam trochleam, cui major alia unita firmiter & connexa est, extendit ac circumvolvitur, ac supra majorem modo dictam, pondus mediocre ita suspendit ut chordam trochleæ minoris tensam servet, & ab eadem tamen porro contracta facile attolli queat. Deinde denticulum quendam in majoris trochleæ ambitu defixum ita aptat manubrio malleoli circa claviculum aliquem mobili, & malleolum campanulæ quidam, ut contracta notabiliter ab imbibitis aeris humidioris vaporibus chorda rotulam suam & cum